



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 104. Suppetiæ a Genuensibus, ductore Justiniano, Græcis latæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

que continuata, breuique omnibus urbis ^{Sæcul. XV.}
propugnaculis penitus everfis, amplæ u- A C. 1453.
bique ad irrumpendum ruinæ paterent.

§. CIII.

*Constantinopolis ingenti furore a
Turcis oppugnata.*

Eodem tempore Mahometes undique
fossas impleri iussit, ipseque horta-
tu suo laborantium solertiam stimulabat,
felici adeo successu, ut Turcæ Principis
sui præsentia accensi, tanto ardore opus
aggrederentur, ut plurimi tumultuarie
concurrentes ob mutuam compressionem
pedibus conculcati, aut terra obruti pe-
rissent. Paulopost horrenda admodum
sagittarum, lapidum, & globorum tempe-
stas omni ex parte obsessorum impete-
bat capita; ejusmodi enim furore Turcæ
Christianos dispergere, ac suis stationibus,
quas tuebantur, propulsare conabantur.

§. CIV.

*Suppetiæ a Genuensibus, Justiniano
duce Græcis latæ.*

Genuenses, cum tam arcem quam Ga-
latam, sive Peram, oppidum sat exi-
guum e regione portus situm occupas-
sent, propriæ utilitatis studio animati,
Constantinopolitanam urbem tueri sta-
tuebant;

Sæcul. XV. tuebant; quapropter navem bellicam
 A.C. 1453. quingentis selectioris militiæ juvenibus
 instructam submiserunt, ut ea, quæ hu-
 cusque possederant, conservare valerent,
 jamque ipso obsidionis initio Joannem
 Justinianum itidem patria Genuensem, u-
 nacum duabus prægrandibus navibus
 Constantinopolim decreverant, cui Imper-
 ator comperta Viri hujus fortitudine, ac
 rara rei militaris experientia, exercitus
 sui supremum commisit imperium. Tam
 strenui Ducis præsentia, atque exemplo,
 Græci antehac ignavia torpentes jam
 veluti totidem leones furore accensi, no-
 vos animos sumere, ac omni ex parte ho-
 stium impetus retundere cæperunt; cum
 interea confusam illam Turcarum ad fos-
 sam tumultuarie accurrentium multitu-
 dinem disruptum illud tormentum pro-
 miscua cæde sædaret. Græci insuper
 opportuno admodum tempore in Infide-
 lium turmas urbe erumpunt, bellicas eo-
 rum machinas non paucas incendio ve-
 stant, ac cujusdam Germani, qui rei tor-
 mentariæ apprime gnarus sub Justiniano
 militabat, industria usi, quosdam Turca-
 rum cuniculos in aera raptant; cum ve-
 ro tota die hostium insultus invicta
 prorsus animi fortitudine sustinuisent,
 postea de noctu ea, quæ Turcæ ad im-
 plendam fossam congesserant, magna ex
 parte rursus extraxerunt, ac murorum
 ruinas

ruinas tanta celeritate repararunt, ut a-
 liquando Sultanus, qui altera die oppu-
 gnationem redintegrare intenderat, con-
 specto Græcorum opere plusquam huma-
 no, stupens exclamaverit: etiamsi multæ
 Prophetarum chiliades mihi prænuntias-
 sent, quod in una nocte a Græcis factum
 video, fidem illis minime habuisssem.

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

§. CV.

*Quatuor naves ex Chio in subsidium
 urbis advectæ.*

Verum longe magis obsessorum animus,
 ac robur crevit quatuor navium ap-
 pulsu, quæ ex Chio insula in subsidium
 urbis advenerant, quas inter altera erat
 Imperatoris, frumentum ex Sicilia adve-
 hens. Turcarum classis hæc naves
 ingenti furore adoritur, sed tandem tur-
 piter fugatur, & naves in libertatem
 assertæ, Mense Aprili ad finem vergente
 victorioso Constantinopolis portum ingre-
 diuntur. Vix fama hujus certaminis in
 urbem perlata est, cum illico ea ex parte,
 quam Turcæ ob angustias loci murum &
 mare dividens invadere haud poterant,
 omnes urbis incolæ ad aggeres suos, at-
 que valla concurrunt, prælii fortunam
 avidissime præstolantes. Turcarum quo-
 que equestres copiæ in aciem instructæ
 ad maris litora subsistebant, ipso Maho-

Ducas c. 38.

Phranz. l. 3.

c. 10.